



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 4. De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

autem Cardin. quæ in contrarium emanârunt, dici potest, eas usu receptas non esse, vel loqui tantum de jure utendi Pontificalibus & benedicens vestes competenti ex privilegio speciali non ex consuetudine generali, sicut etiam notavit Pasqual. ad Laur. de Franch. de Controv. inter Epif. & Reg. p. 2. q. 28. n. 2.

Sed & illud notabile est, quod docet Laym. in qq. Can. de Præb. elect. &c. q. 219. quod Abbas ex privilegio Apostolico (idem si ex consuetudine) semel habitatus ad faciendas consecrationes pro sua Ecclesia tantum, possit eas etiam facere pro alijs Ecclesijs, si ab Episcopo ei committatur. Adest enim potestas delegandi ex parte Episcopi, & capacitas exequendi ex parte delegati. Illa autem restrictiva clausula privilegij, *pro suis Ecclesijs tantum*, intelligitur, ne faciat pro alienis auctoritate propria, sicut nec Episcopo cujusvis privilegij prætextu in aliena diœcesi pontificalia exercere permittitur sine licentia Ordinarij loci, *Trid. s. 6. de refor. cap. 5.*

CAPUT IV.

De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.

SUMMARIA.

1. *Quando Ecclesia censeatur polluta.*
2. *Cur tantum ob sanguinis & seminis effusionem, & non alia delicta, Ecclesia polluetur.*

B 4

3. *Quid*

3. *Quid faciendum si Ecclesia polluatur per sepulturam infidelis, heretici &c.*
4. *An sepultura cathecumeni, vel infantis non baptizati Ecclesia polluatur?*
5. *Cur locus sacer potius censeatur pollui, per sepulturam pagani &c. quam decedentis in notorio peccato?*
6. *Pollutio Ecclesie fit per omne homicidium injuriosum in ea perpetratum.*
7. *An polluta censenda sit Ecclesia, si intra eam bannitus occidatur?*
8. *Quid sit sentiendum de sacrilega occisione viri sancti intra Ecclesiam?*
9. *Non per mortem, sed per injuriosam occisionem intra Ecclesiam factam, polluitur Ecclesia.*
10. *Per quam vulnerationem censeatur pollui Ecclesia.*
11. *Quando per voluntariam seminis humani profusionem polluatur Ecclesia, & quid de copula conjugali sentiendum?*
12. *Si effusio sanguinis vel seminis fiat tantum in parte vicina Ecclesie verb. g. sacristia &c. non censeatur polluta Ecclesia.*
13. *Qui sint effectus pollutionis.*
14. *Quid faciendum sacerdoti, si durante missa contingat pollutio?*
15. *An per solam missam reconcilietur Ecclesia?*
16. *An Episcopus possit dispensare, ut ante reconciliationem legantur missae.*
17. *An inferior Episcopo possit reconciliare.*

Eccle-

Ecclēsia pollui dicitur, quando certæ quædam actiones turpes indecentes & loco sacro injuriôsæ (quas mox enumerabimus) in ea committuntur. Non possunt quidem reverâ & physicè sancta à profanis & turpibus coinquinari. *c. vestra. de Cohab. Cler. & Mul.* quia tamen domum Dei decet sanctitudo, morali hominum existimatione indecens reputatur ut hostia immaculata & divinum officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci expurgatio fiat.

Censetur autem pollui Ecclesia 1. Per sepulturam infidelis vel etiam fidelis excommunicatæ aut hæretici. 2. Per homicidium aut sanguinis injuriôsam effusionem. 3. Per effusionem feminis. † Dices, quare præter sanguinis & feminis effusionem (de sepultura quæremus paulò inferius) & non etiam ob alia delicta in Ecclesia patrata v. g. furtum sacrilegum, blasphemiam perjurium &c. polluitur Ecclesia? Vix dari aliam rationem quàm quòd peculiariter circa enumerata delicta ita ab Ecclesia statutum sit, cum Valentia, Vasq. & alijs putat Sanch. *de matrim. lib. 9. d. 15. n. 4.* & sequitur Barb. *de offic. Episc. alleg. 28. n. 21.* Sed ignoscent tanti viri, si non sequar tam facile confugientes ad *Leg. notæ omnium ff. de LL.* quin potius existimo eam fuisse rationem Ecclesiæ sic statuentis, quòd hæc duo crimina scilicet sanguinis & feminis effusionem præ cæteris vitijs semper sacræ paginæ à ministerio divino excluderint, effusionem qui-

B 5

dem

dem sanguinis, quod contrarietur Mansuetudini Christi, qui nullius sanguinem, sed suum innocentissimum pro nobis effudit: effusionem autem seminis, quod contrarietur immaculatæ hostiæ & Virgineæ proli. Si hæc ratio displicet, rogo mihi assignari aliquam, cur Clericus potius ob homicidium vel mutilationem reddatur irregularis, & non ob aliud quamvis gravius delictum? Cur à celebratione vel sacra communicatione potius ob effusionem seminis, quam aliud peccatum abstinendum sit? & cur etiam in veteri testamento quoad utrumque casum Judæis fuerit præceptum à sacris abstinere?

3 Igitur I. polluitur Ecclesia per sepuluram infidelis, vel hæretici aut excommunicati: Ejus cadaver exhumari (dummodo ab alijs dignosci possit) & Ecclesia vel Cœmeterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri, vel sacra fieri possunt. *c. Ecclesiam 27. & seq. de Consec. d. 1. c. consulisti 7. de Consec. Eccles. vel alt.* hodie tamen post Concilium Constant. & Extravag. Martini. V. *ad evitanda scandala.* nisi excommunicatus fuerit denunciatus aut notorius percussor clerici, probabiliter non polluetur Ecclesia. Quidquid enim sit, an talis excommunicatus non denunciatus possit sepeliri in loco sacro (de quo diversas opiniones referemus inferius *in p. 4. de sepulturis*) si tamen de facto sepultus fuerit, magis est, ut dicamus non pollui Ecclesiam, quia quoad hoc punctum non agitur de favore excommunicati, sed

sed Ecclesiæ & aliorum fidelium, qui juxta d. Concil. Constant. non debent divinis officijs privari ob communionem cum excommunicato non denunciato.

Idem quod de excommunicatis non denunciatis, etiam de hæreticis servandum docet Nav. *Consil. 10. de hæret. & in tract. de orat. & horis Can. c. 21.* quæ sententia pro usu nostræ Germaniæ deservit, ubi cum hæreticis impunis est communio. Imò in novissimo bello Turcico auxiliares Copiæ à Principibus A catholicis transmissæ, hoc expressè in pactum deduxerunt, & ab Ecclesiasticis potestatibus desuper consensum impetrârunt, ut milites A catholici defuncti in Cœmiterijs Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non adessent) sepelirentur. quod ob casum magnæ necessitatis ad obtinendum illud militare subsidium, & quia non fuit petitum in contemptum fidei Catholiciæ, sed potius ob honorem humanum, toleratum fuit.

Per sepulturam etiam Cathecumeni & infantis Christiani non baptizati pollui Ecclesiam tradit Zoel. *ad tit. decret. de Consec. Eccles. n. 13.* sed Vgolinus *de potestate Episc. cap. 29. §. 5.* excipit Cathecumenos, qui cum vi charitatis conjuncti nobis sint, & separari in sepultura non debeant. Infantes Christianorum non baptizati licet ex usu Ecclesiæ in locis sacris non tumulentur, si tamen de facto contingeret sepeliri, putarem probabiliter dici posse, non pollui locum

cum

cum sacrum, quia ad hanc rem non habetur alius tex. quàm c. *Ecclesiam de Consec. d. 1.* quod non loquitur de tali infante sed de vero pagano & infideli, in pœnalibus autem & odiosis termini sunt propriissimè accipiendi. Nec est eadem rationis paritas, quia infideles & pagani veri formaliter detestantur fidem Ecclesiæ ejusque hostes sunt, at infantes Christianorum magis fidem & personam parentum repræsentant, in quorum fide etiam baptizantur. & quia ad Baptismum ex fide & intentione parentum destinati sunt, non video, cur magna irreverentia ex eorum sepultura loco sacro irrogetur, sicut de Cathecumeno dictum. Nec etiam obstat, quòd baptismus sit janua ad Ecclesiam, & ante Baptismum nemo sit intra Ecclesiæ gremium recipiendus. Nam ex hoc plus non convincitur, quàm quod infantes non baptizati non sint in Ecclesia sepeliendi, non autem statim sequitur, quòd ex eorum sepultura Ecclesia polluatur: certè etiam omittentes paschalem confessionem decedentes in peccato notorio excluduntur à sepultura, & tamen sepulti de facto non polluunt locum sacrum, quia id in jure expressum non est.

5 Sed *quæres*, cur potius pagani excommunicati, hæretici sepulturâ polluitur locus sacer, quàm ex sepultura decedentis sine annua confessione, vel in notorio peccato &c. R. Præter auctoritatem Canonis sic statuentis, si non convincentem saltem congruentem rationem posse assignari, quia pagani & excommunicati aut mem-

membra Ecclesiæ non sunt, aut si fuerunt, re-
fecta & separata sunt, & propterea sicut in vivis
sine irreverentia inter divina officia tollerari non
possunt, ita nec post mortem, juxta vulgarem
regulam: *quibus non communicamus vivis, nec
communicemus mortuis, c. sacris de sepult.* At verò
reliqui peccatores utcumque graves non censentur
à divinis vel ab Ecclesia exclusi, ejus mem-
bra permanent, quamvis arida, & sicut in cor-
pore physico membrum aridum per nervos &
pellem reliqui corporis sustinetur, nec non ali-
quali saltem calore fovetur, ita etiam isti pecca-
tores adhuc de corpore Ecclesiæ ejusque meritis
& suffragijs aliquod fomentum participant.
*Covar. in relect. c. alma mater. de sent. excom. in 6.
in princ. n. 7. & in §. 6. n. 3.*

II. Polluitur Ecclesia per omne homicidium 6
injuriosum in Ecclesia quocumque modo etiam
per suffocationem aut occisionem sui ipsius fa-
ctum *c. proposuisti de Consecr. Eccles. & gl. in c.
un. Eod. in 6.* dico injuriosum, unde per homi-
cidium vel casu vel causa defensionis vel ab a-
mente aut infante factum non censetur fieri
pollutio, quia cum non sit delictum in occiden-
te non videtur fieri irreverentia Ecclesiæ. vo-
lunt tamen DD. cum Barb. *de Offic. Episc. p. 2.
alleg. 27. n. 15.* quòd sicut Clericus & sacerdos,
qui templum Dei spirituale est, ex homicidio
casuali ubi culpa intervenit, item & ex homici-
dio necessario, si modus inculpatae tutelæ exce-
datur, pollutus & irregularis censetur, ita etiam
tem-

templum materiale ob homicidium culpabile (quamvis non dolosum) reconciliatione indigeat.

7 Quid, si in generale bannum declaratus, in cuius vitam potestas omnibus data sit & quidem sub promissione præmij, in templo ab aliquo occidatur? Polluta censetur Ecclesia, licet enim respectu personæ occidentis & occisi tale homicidium supponatur licitum & non injuriosum, est tamen injuriosum respectu loci sacri, sicut de alio malefactore justè condemnato & in Ecclesia pro merito supplicio affecto tradit Zoel. *ad tit. de Conf. Eccl. n. 5. Barb. d. l. n. 15.* Obiter hîc adnotandum est, quod etiam monet Moli. *de l. & l. tr. 3. d. 7.* raro & non nisi ob gravem causam licere dare publicam potestatem cuilibet occidendi reum, tum ob alia incommoda, tum quòd tales rei Sacramentis destituti in corpori & anima pereant, quod utique Christianæ mansuetudini repugnat, ideò etiam data potestati à magistratu fori externi non videtur facile ejus usus in conscientia & foro interno admittendus, nisi ex vita malefactoris proscripti quotidianum periculum Reipub. immineret, tunc enim publica salus ab occisionis peccato sicut in quocunque hoste excusaret.

8 De occisione alicujus Sancti & justî viri in Ecclesia etiam quæritur an exinde polluat Ecclesia? Affirmativa magis legitur apud Auctores, eò quòd licet sanguis sanctorum Martyrum consecret potiùs, quam fœdet Ecclesias *tex. in*

e. fun.

c. fundamenta. de Elect. in 6. ipsa tamen nefaria & sacrilega actio occidentis Ecclesiae injuriosa est. *gl. in c. un. de consec. Eccles. in v. sanguinis. Zoes. d. l. Vall. Eod. tit. n. 5.* At tamen Gl. in fin. locum ubi sanguis effusus est, non esse in reconciliatione abluendum.

Ceterum non polluitur Ecclesia si quis morbo correptus, aut extra Ecclesiam vulneratus in eadem moriatur. Non enim ipsa mors per se irreverentiam infert Ecclesiae, sed causa sive occisio in ea facta.

Quid autem dicendum, si quis in Ecclesia existens foris praterentem vel è converso foris existens stantem in Ecclesia jaculo conficiat? Communius receptum est, ut posteriore tantum casu, quo consummatur homicide in Ecclesia contigit, censeatur polluta Ecclesia, non priori, in quo non proprie verificantur textus Canonici, *c. un. de consec. Eccles. in 6. c. tantum. de privil.* qui in pollutione Ecclesiae loquuntur de morte aut sanguinis effusione in ipsa Ecclesia contingente. *Zoes. d. l. n. 6. Barb. d. l. n. 26.*

III. Non solum per mortem sed etiam per vulnerationem injuriosam, ex qua sequatur sanguinis humani effusio; Quod verbum *effusio* communiter DD. interpretantur de copioso fluxu sanguinis, unde concludunt non sufficere paucarum guttarum destillationem, vel si ex inflicto pugno ex naribus sanguis profluat (nisi ex gravibus verberibus id accideret) neque sola percussio quamvis gravis satis est, sed sanguis

sequatur necessè est, quia de sanguinis tantum effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia pœnali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Non tamen requiritur, ut sanguis ipsam Ecclesiam contingat, dummodo intra Ecclesiam effusus, licet in vestimentis absorptus vel in vase collectus sit. *vide Barb. d. l. Navar. in man. c. 27.*

II IV. Polluitur Ecclesia per voluntariam seminis humani profusionem five cum, five sine complice factam, dummodo ea notoria & saltem per famam aut opinionem hominum publicata sit, non autem sufficit si v. g. solus Parochus ex confessione sciat, vel aliqui tantum ex parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis. *Sa. v. Ecclesia, n. 19.*

Quid de copula conjugali in Ecclesia facta dicendum? Ratio dubitandi est, quòd *c. si mortuum. de consecr. d. 1. § 6. significasti. de adul.* solum loquatur de profusione seminis illicita & adulterina, in pœnibus autem termini sunt strictè accipiendi, ut pro negativa sententia argumentatur Pont. de matrim. lib. 10. c. 10. n. 13. *Sa. d. l. n. 14.* Nihilominus apud authores receptus est pollui Ecclesiam, propter irreverentiam, quæ per talem actum loco sacro inferitur, ad eum modum, quo superius de executione facta in Ecclesia contra justè condemnatum ad mortem diximus. *gl. in c. un. in v. seminis. de Consecr. Eccles. in 6. Navar. in Man. c. 27. n. 252. Sanch. de matr. lib. 9. diff. 15. a. n. 7.*

posset

posset verò contraria sententia obtinere in casu necessitatis, quo conjugati ab hostibus v. g. in templo obsessi aut conlusi alium locum exercendi copulam non haberent, & sine periculo incontinentiæ abstinere non possent, quia tunc necessitas facit licitum, quod aliàs foret illicitum. *Covar. de spons. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3. Zoes. d. 1. n. 8. Barb. d. 1. n. 48.*

Est potro circa has pollutionis species, quæ¹² fiunt per sanguinis aut seminis effusionem advertendum, non pollui Ecclesiam, si vel supra illam in tecto, vel intra eandem in aliqua Crypta, aut juxta eam in campanili vel sacristia (dummodo hæc ab ipso interno corpore Ecclesiæ, quod censetur à tecto interiori usque ad pavimentum, & à portâ interna majoris Ecclesiæ, usque ad ultimum parietem internum nullo alio muro inter medio distinctum) pollutio contingat, quia, ut sæpius repetitum, in materia pœnali & odiosâ termini sunt strictè accipiendi. *Vid. Fagund. in 5. Eccles. præcepta p. 1. lib. 3. cap. 14. n. 37. Sanch. d. disp. 15. 2. n. 21.* Item si pollutio contingat in gradibus Ecclesiæ vel ante januam extra scilicet clausuram portæ internæ. *Barb. d. 1. n. 20.*

Quòd si polluta sit Ecclesia censebitur etiam pollutum cœmiterium tanquam accessorium, non verò è converso, quia accessorium non trahit ad se principale. *c. un. de Conse. Eccles. in 6.*

Effectus pollutionis est, quòd in Ecclesia polluta¹³ antequam ab Episcopo per aquam cum vi-

no sale & cinere. benedictam reconcilietur, non debeant sacra vel divina officia fieri, neque mortuus sepeliri. qui tamen de facto hæc faceret, temerariò quidem ageret & mortaliter peccaret, nullam tamen irregularitatem vel censuram incurreret. *c. is qui. 18. de sent. excom. 126.*

14 Si contingeret durante missa pollutionem evenire v. g. per homicidium aut vulnerationem communiter distinguitur, an ante consecrationem vel postea id accidat, ita ut priori casu missa etiam cœpta deserenda sit, non verò posteriori. *Ugol. de offic. Ep. c. 29. §. 7. n. 3. Fagund. d. l. c. 18.*

15 Verùm si de facto post pollutionem missa celebrata sit sive bonâ sive malâ fide, jam Ecclesiam propter infinitam virtutem tanti sacrificij haberi pro reconciliata putant *Sa v. Ecclesia n. 19. Castro de lege poen. lib. 2. cap. ult.* Cui opinioni videtur aliquantulum suffragari *tex. in c. de fabrica. de consecr. d. 1.* ubi dicitur, aliquando totius Consecrationis sanctificationem per missarum solennitatem impleri tutius tamen est vera reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribunt. neque enim *d. c. de fabrica.* continet hunc casum, sed juxta communem interpretationem alium, quando nimirum parietes per partes reficiuntur & innovantur. ut priori cap. dictum.

16 Si reconciliatio Ecclesiæ fieri tam citò commodè nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensativè concedere in ea fieri divina officia, sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum, spirituale vel tempora-

porale in alio jure positivo dispensare. *Sa d. l. Fagund. d. l. c. 14. n. 2.* Alij verò existimant, non esse facile ad istam dispensationem deveniendum; si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint divina fieri. cum sepultura tamen plerumque necessitas exigit dispensationem, neque alio modo facile evitari potest.

Delegare autem reconciliationem alicui sacerdoti simplici Episcopus non posset, quia est actus ordinis Episcopalis, *per tex. expressum in 6. aqua 9. de Consec. Eccles.* nisi fortassis is sacerdos aliàs ex privilegio Apostolico esset habilitatus ad faciendam talem conciliationem, sicut superioribus Fratrum Minorum à Leone X. tale privilegium concessum refertur, ut possint suas Ecclesias reconciliare. *Roderiq. tom. 1. reg. 99. 19. art. 6. Henriq. L. 9. c. 27. n. 6.* quo faciunt ea, quæ superius in cap. 3. ad fin. tradita sunt.

CAPUT V.

De Immunitate Ecclesiarum

Parochialium.

Cum omninò deceat res ad divinum cultum destinatas à profanis oneribus esse liberas, ideò hæc libertas immunitas dicitur & rebus ac locis sacris per jura divina & humana tribuitur.

Dividitur autem immunitas in localem, realem & personalem,